PRÆDICTIO ASTRONOMICA SOLARIS DELIQUII,

Ad

Annum 1684. 12. Julij Stylo novo.

Ex Principijs

NOBILIORUM

ASTRONOMORUM

INTER SE COMBINATIS DESUMPTA,

Et

VERITATIS EXPLORANDÆ GRATIA

IN LUCEM EMISSA,

à JOANNE HANCKE S. J. OLIM MATHESEOS PROFESSORE.

OLOMUCII,

TYPIS JOANNIS JOSEPHI KYLIAN, 1683.

Plinius lib. 2. cap. 70.

Defectus Solis ac Lunæ vespertinos Orientis incolæ non sentiunt, nec matutinos ad occasum habitantes.

Seneca epist: 92.

Solis vis & lux integra est, etiam inter opposita; & quamvis aliquid interjaceat, quod nos prohibeat ejus aspectu, in opere est, cursu suo fertur. Quoties inter nubila luxit, non est sereno minor, nec tardior quidem; quoniam multum interest, utrum aliquid obstet tantùm, an impediat; eodem modo virtuti opposita nihil detrahunt. Non est minor, sed minùs fulget: nobis forsitan non æquè apparet, ac nitet; sibi eadem est, & more solis obscuri in occulto vim suam exercet, &c.

Solare deliquium anni 1684.

Eclipsis Solaris fit, quoties fulgentissimi hujus astri radios Luna oculum inter, & Solem media, ut quorundam fit noviluniorum tempore, intercipit; sive quoties umbra globi lunaris terram contigerit. Ejusmodi obscurationem patientur regiones complures anno supra memorato, quam è longinquo noverunt prædicere Astronomi, secundum diversa uniuscujusq; principia moram illius, quantitatem, aliáque huc pertinentia definientes. Nec dubito plures anno hoc in vulgus chartas à typo super re præsenti spargendas, cujusmodi exemplis inducto libuit ad proprios quoque hanc eclipsin revocare numeros, qui si examussim responderint eventui, cumulatissimum tulero operæ pretium veritatem: Sin minùs, nihil alienum mihi accidet à magnis Astronomis, qui interdum in hoc genere cum bono dormitant Homero. Vide Ricciolum lib. 5. Astron: cap. 19. ubi præter cætera multa narrat anno 1590. Solis digitos tantùm quatuor obtectos fuisse, cùm Prutenicæ tabulæ duplo majorem Lunæ interpositionem promitterent, &c.

§. 1. *Quando futura sit hæc eclipsis.*

Affiximus limitibus Moraviæ, Silesiæ, & Boëmiæ hunc calculum, qui ex probatiorum geographorum calculo quadraginta gradus longitudinis numerant.

Huic porro meridiano novilunium verum eveniet duodecimâ Julij completâ, horâ 4. 1. minut: tempore Astronomico æquali, eritque tunc motus amborum luminarium verus (assumptis Joannis Riccioli radicibus) signorum 3. 20. grad: 54. minutor:

Erit præterea tunc longitudo nodi Borei signorum 3. 16. grad: 19. minut: hanc si ex longitudine Lunæ vera auferas, prodibit motus verus latitudinis signor: 0. 4. grad: 35. minutorum ad cognitum veræ syzygiæ tempus; cui respondet latitudo Lunæ ascend: septemtrionalis admodum exigua, videlicet 23. primorum, 53. secund: fere, unde conjunctio alicubi omnino, & quidem centraliter ecliptica fit oportet.

§. 2. *De quantitate & mora hujus eclipseos.*

Duplex quæsiti hujus investigandi via est: una veterum, parallaxibus indiget, de qua infra: alteram recentiores injerunt Astronomi, qui fictione ingeniosa in lunarem globum sese transferunt, & exinde terram nostram contemplantur; similem enim oculo ibidem degenti sub novilunio phasim interdiu exhibet, qualem Luna nobis in plenilunijs sereno cœlo, spectandam offert.

Quodsi verò Luna exiguam nimis habeat latitudinem, fiet ut terra in umbram Lunarem incidat, luminisque à Sole communicati defectum patiatur, ad eum prorsus modum, quem singulis experimur annis in Luna, cùm Soli opposita eclipsin sustinet umbram terrestrem ingressa.

Itaque hujus Comites viæ deprehendimus conum umbrosum Lunæ tunc primùm ad discum impingi terraqueum, cùm hora post meridiem prima & 9. fere minuta apud nos effluxerint, quem demum iterum discum horâ post meridiem sextâ, 54. minut: deseret, atque ità universim Telluris eclipsis ex Luna spectatæ numerabit horas 5. & 45. minuta.

Ipsum porro coni umbrosi axem animadvertimus in terram illabi horâ 2. 15. minut: à quo denuo recedet horâ post meridiem 5. 47. min: unde centralis terræ eclipsis durabit horis tribus, 32. minut: quo tempore multæ regiones centraliter obscuratum habebunt Solem.

Cæteræ autem Provinciæ his viciniores, toto item solari destituentur lumine non sinè magno vulgi horrore. Remotiora, denique non nihil regna ab hoc penumbræ centro, secundùm proportionem distantiæ plus minúsve solares experientur tenebras.

§. 2. *Quæ in particulari regiones centralem eclipsin spectaturæ sint?*

Hactenus terram solaribus orbatam radijs ex Luna spectavimus, determinandum restat, quas in particulari regiones centrũ umbræ obfuscet. Post numerosa itaque trigonometriæ Sphæricæ ratiocinia deprehendimus punctum illud Telluris ex Luna visæ, quod centrum umbræ memoratâ horâ secundâ & 15. minut excipit, longitudinem habere geographicam 28: 6. gr: 45. min: latitudinem geographicam 33. grad: 16. minut:

Similiter investigavimus ejus puncti in terra siti longitudinem geographicam, quod sub ipsum conjunctionis veræ momentum à centro lunaris umbræ contingitur. Reperimus ei gradus deberi 344. 40. minut: sub latitudine geographica 45. gradum 45. minutorum.

Denique

Denique punctum illud, in quo centrum umbræ tellurem iterum deserit, videlicet horâ 5. 47. minut: invenimus distare ab æquatore grad: 30. min: 39. & numerare longitudinem geographicam 25. grad: 5. minut. Quare si per hæc tria loca jam cognita in terrestri Sphæra arcum duxeris, omnes illæ regiones arcui subjectæ centralem patientur eclipsin: nominatim illi Floridæ & Virgineæ Americani, qui sinui Mexicano sunt vicini. Naves ex Europa in Septemtrionalem Americam tendentes, & magna denique Africæ temperatæ regio, quæ vulgo Barbaria dicitur, inter mare mediterraneum, & Cancri tropicum ferè media. Vicini autem populi cis, & trans arcum sub mera umbra degunt. Et quia meræ umbræ semidiameter in casu nostro 30. fere milliaria italica continet, necesse est ut viciniores quoque habitatores cis, & trans, spatio triginta milliarium italicorum ab arcu dissiti totalem eclipsin habeant. Totus verò penumbræ semidiameter, ùt eum vocant eruditi, juxta assumpta principia 32. gradus terrestres, 3. minut: continet, unde circa circum reliqui populi ab arcu in utramque partem 32. gradibus 2. min: dissiti partialem conspicient eclipsin, qui equidem defectus tantò ijs locis major spectabitur, quantò meræ umbræ contigerit esse viciniores. Lector tabulas velim geographicas consulat, videbitque particulatim regiones in ijs depictas.

Solent Astronomi bina item puncta illa supputare, quibus umbræ limbus terram incipit & definit stringere, sed quoniam majorem hujusmodi res laborem, quàm utilitatem pariunt, sufficere mihí visum est sola centri loca designâsse.

§. 3. *Supputatur eclipsis prædicta more Veterum, ejúsque duratio, & quantitas respectu cujusdam determinati loci indagatur.*

LOcus datus sit quidam Moraviæ, Boëmiæ & Silesiæ limes, cujus longitudo geographica 40. grad: latitudo 50. graduum. Respectu cujus determinandum sit quæ diei hora eclipsin solarem conspectura sit, quamdiu ibidem duraturæ sint hæ tenebræ, & quot corporis solaris partes obscurandæ. Pro quo notandum non eodem temporis momento videri à nobis luminarium conjunctionem, quo ipsa Cœlo evenit, sed interdum antè, interdum post, ob parallaxin longitudinis, ut nôrunt eruditi.

Numerat autem parallaxis Lunæ à Sole ad momentum veræ synodi occidentalem Eclipticæ quadrantem occupantis, minuta prima 26. & 54. secunda. motus porro visus horarius Lunæ à Sole mihi est 27. minut. 2. secund: quare

 conjun-

conjunctio visa sequitur veram horâ propè integrâ, absque aliquot secundis. Latitudinem praeterea visam tunc habet Luna meridionalem (ob parallaxin latitudinis, quae illam in oppositum polum deprimit) minutorum 16. & 17. secund: Semidiameter Solis mihi est 15. primorum. 37. secundor: Lunae 15. prim: 55. secund: à quibus in unam summam collectis, si auferatur latitudo visa, remanebunt scrupula obscurationis 15. & totidem secunda. haec scrupula reducunt Astronomi ad duodecimas diametri solaris partes, quos digitos vocant dicendo: ut diameter Solis 31. minutor: 14. secund: ad 12. ita scrupula 15. min: & 15. secund: ad aliud, prodibunt digiti sex absque novem minutis, obscurationis solaris, quos licebit dicto loco intueri horâ quintâ, minuto uno post meridiem secundum tempus aequale.

Juxta Lansbergij verò semidiametros luminarium apparentes paulò plus, quàm sex digiti obtegentur solaris corporis. Caeterum scrupula incidentiae mihi sunt 27. & 3. secund: quae divisa per motum visum horarium dant moram ad sensum dimidiam unius horae, à qua pauculis discrepat minutis tempus emersionis; unde deliquij solaris initium eveniet praedicto loco horâ 4. 1. min: medium horâ 5. 1. min: finis denique post horam sextam spectabitur; proinde tempus universae eclipseos loco dato spectatae horarum duarum excedet durationem.

Notandum quòd tempus aequale, dum observatio facienda est, & calculus experientiâ comprobandus, in tempus apparens redigendum sit, hoc autem fiet in praesenti casu, si minuta septem ex tempore aequali auferas, prodibit tempus apparens conjunctionis horâ 4. & 54. minut.

§. 5. *Quomodo eclipsis constituto tempore observari possit?*

QUi tubo vitris coloratis instructo praeditus non est, immittat cubiculo, velatis undique fenestris, radium solarem per foraminis rotundi angustias; videbitque in tabella quapiam plana, foramini perpendiculariter oppositâ orbicularem Solis figuram citra ullam intuitûs molestiam, everso tamen situ, ut nôrunt optici: Haec adveniente eclipseos tempore incipiet ex margine luminaris occidentali sensim nigrescere, idque magis semper ac magis, donec medium compleatur obscurationis momentum. Exinde partem videbis obumbratam denuo restitui, usque ad ultimum deliquij praesentis terminum. Itaque si totam illuminationis dictae imaginem in tabella delinees, ejúsque diametrum in minutissimas particulas dividas, facilè inde colliges, quae partis deficientis ad integrum Solis discum sit proportio; eámque passim, ut dixi, secundùm digitos aestimant; unde si tertia diametri pars fuerit obscurata, magnitudo eclipseos

pseos quatuor dicitur fuisse digitorum. Multo clariorem porro, magisque distinctam & veram spectabis eclipseos iconem, intra cameram tenebricosam depictæ, si foramen radio solari excipiendo destinatum Vitro quopiam, seu cavo, seu convexo, ex quibus tubi constant visorij, obduxeris; tunc enim exactissimè relucebit genuina Solis, & umbrosæ ungulæ quantitas.

Cæteroquin speciei semidiameter per foramen nudum transmissæ aliquantulum justo major est, quæ ut correctior evadat, à semidiametro speciei auferendus est foraminis semidiameter juxta Kepl.ri præcepta in paralipom: ad Vitellionem tradita, quæ magna sui commendatione & hujus scientiæ bono reliquit posteritati.

Ad explorandam item calculi veritatem juverit annotare totam eclipseos durationem captando initij & finis tempus, quod ex altitudine Solis per instrumentum accuratiùs observatâ deducunt Astronomi. Ejus defectu sufficiet grandiusculum horizontale sciathericum inspicere.

§. 6. *Cur Solis eclipses rariùs, quàm Lunæ conspiciamus?*

SCiendum est duas quidem, aut tres Solis eclipses, & unam vel duas Lunæ, annis omnino singulis lunaribus contingere, solaria tamen hujusmodi deliquia, quia integrum nunquam obfuscare possunt hemisphærium, sed partem tantùm illius, eámque pro diversitate motuum cœlestium, aliam plerumque, & aliam, inde rariùs eodem loco evadunt conspicua. Certè hujates Provinciæ deinceps non nisi anno 94. 22. Junij, & 99. 23. Septembris defectum Solarem intueri poterunt, cùm tamen ab anno 84. ad usque annum 1699. vigesies semel hoc Luminare eclipsari sit necesse: Admodum enim exigua est moles lunaris, & 49. telluris nostræ partem non excedens, quare adverso Sole umbram jacit disco terraqueo minorem, quæ simul & semel cùm maxima est, & penumbræ juncta 71. circiter gradus terrestres adæquat. Id, quod Sapientissimo utique factum est providentissimi Numinis consilio, nè frequentior diurni luminis subtractio, quæ multò efficaciùs sublunarium movet naturam, quàm nocturni, portionem telluris certam pessumdaret. Unde & brevioris sunt durationis, & plenilunia circumstantia (quod notat Ricciolus & Keplerus) sinè eclipsi transeunt, dum centralem alicubi defectionem conjunctionis tempore orbis patitur: Video tamen non obstante hoc prædictorum Astronomorum canone Lunam 26. Junij, anno 1684. nonnihil obscuratum iri, licet centralis hunc proximè subsequatur 12. Julij terræ eclipsis.

Ex dictis inferes tenebras super universam terram moriente Christo inductas non potuisse oriri à Luna Sola, tametsi à suo depressa orbe (ut volunt nonnulli eà de causâ factum) oculo nostro præter morem facta esset vicinior, quia globus minor Soli oppositus non obfuscat hemisphærium integrum majoris globi quantumvis propè contigui; Unde si miracula, quantùm licet contrahenda sunt, placet Christophori Scheiner opinio refundentis hoc extraordinarium Solis deliquium in solares maculas, quarum sub Domini obitum usq; adeò copiosa, densa, & conglobata fuerit materies, ut Solem totum universo orbi eriperet, & stellas interdiu redderet conspicuas, prout ipsi testantur Scriptores Ethnici: respectu tamen Palestinæ, & viciniorum locorum id ab umbra Lunari evenerit, nam in ipsa Ægypto testatur S. Dionysius visam à se Heliopoli lunam soli interpositam, ex ortiva tamen solis parte subingressam contra naturæ ordinem: quanquam nec Heliopoli totum omnino Solem tegere potuerit, cùm mera Lunaris umbra nè sexaginta quidem, imò nec quinquaginta quatuor milliaria germanica secundum probatiorem Astronomiam unquam exæquet. quare ibidem etiam partem defectûs ejusmodi maculis adscripseris, nisi eo usque saltem demotam ex consveta orbita Lunam velis, ut pluribus regnis Solem totum contegeret.

Istud præterea hoc loco non prætermittendum, ducentis duobus mensibus redire in suos orbes defectus authore Plinio, sed rectè notat Keplerus in epitom: Astron: pag: 895. ob multa principia ad eclipses, præsertim Solis, concurrentia, nullum hactenus exactum revolutionis ordinem observari potuisse. Lunares tamen intra mensium 223. periodum, seu annor: Lunarium 18. plerúmq; redire eclipses non multum differentes, supputatæ præteritorum temporum ephemerides comprobant, quæ tamen gradibus Zodiaci denis antecedunt.

§. 7. *An & qui effectus ab hac eclipsi sint metuendi?*

Vulgus putat eclipses solares nescio quid noxium, & pestiferum afferre regionibus ijs, quibus sese spectandas exhibent, meminiq; puer anno 1652. 8. April: & anno 1654. 12. Augusti eo úsque compulsos metu homines, ut præcavendis malis fontes obstruerent, exitúmque domo vetarent, ætati præsertim tenellæ, nè malignos nescio quos influxus haurirent, donec eventu docerentur, curas hujusmodi fuisse superfluas. Peritiores quidam naturalia luminarium deliquia in extraordinaria Cœli signa detorquent, volúntque interdum assumi divinitus ad prædicendos variorum Principum obitus, quemadmodum iris olim ex causis orta naturalibus signum fœderis extitit; sed quis oro cœlestibus interfuit consilijs?

Chaldæi

Chaldæi per astrologica interdum principia ex his mortem Regis, aliásque calamitates divinant, Ità Messahallach. cap. 5. docens ex ascendente gradu in momento eclipseos mediæ, dominóque ascendente petendam esse significationem mali, aut boni eventûs, non negligendam tamen esse partem fortunæ. Ptolomæus asserit neque potentiorem, neque priorem causam esse hujusmodi casuum, quàm quæ ducitur ab eclipticis tam Lunæ quàm Solis syfygijs, nec non transitibus stellarum, earum tempore: erítque qui hæc inductione stabilire contendat. Nam Romulo moriente eclipsin Solis fuisse tradit Macrobius. Anno item Christi 17. 15. Februar: sol totus Romæ obscurari visus, & in gradu 16. aquarij domum regiam possidens Augustum prænunciavit paulo post è vivis excessurum. Necem Domitiani antecessit defectus solis annularis. Anno dein 237. eodem videlicet, quo Gordianus Junior imperare cæperat, eclipsis tam horrida, ut nox crederetur, memoratum Principem non diu regnaturum præfiguravit. Anno quo mortuus est Ludovicus Balbus Rex Franciæ, hoc est 878. Similem numerant Astronomi obscurationem. Mortem Alexandri tertij, atque Ludovici crassi Imperatoris, idem præcessit eventus, anno 1181. sexennio autem post iterum tectus Sol ereptam Christianis Hierosolymam, captúmque à Saladino Balduinum luxit.

Et ut antiquiora prætéream, mortem Ferdinandi Imperatoris ritè conjecerunt Astrologi ex solari defectu qui anno 1518. in gradu 26. geminorum evenerat: Junctinus quoque si hodie viveret, non benè ominaretur ex præsenti eclipsi Venetis, quibus fortasse seditiones, proditiones, clades navales, prædiceret, habuit enim hæc urbs primo sui exordio ascendentem 25. grad: Cancri. Garseus procul dubio Boëmiæ metueret, quod ex eclipsibus in cancro celebratis anno 1424. 1433. 1469. & 1536. multa ei sinistra evenerint. Hæc ut ut splendidè jactentur à nonnullis, non majorem tamen fidem apud me obtinent hi vates, quàm qui à scopo sæpius aberrantes eum quandoque assecuti, suam in rectè collimando pollicentur, & dilaudant operam. Supputa numerosas astrologiæ hallucinationes, & in eandem mecum transibis sententiam. Nec mirum! si enim futura hujusmodi tutò possent prænoscere, oporteret certum quendam siderum aspectum esse causam per se hujus effectûs; ad hoc verò, ut quidpiam dicatur causa per se hujus effectûs, non sufficit bis aut ter existente hac constellatione existere & alterum; sed requiritur, ut id communiter, & sæpisimè observatum sit, quam hactenus experientiam non potuerunt conquirere judiciarij; sidera enim fixa discedunt sensim ab ijs Cœli partibus, quibus olim fuerant conjunctæ, atque adeò Planetarum loca in his, vel illis domicilijs existentia, longè aliam modò quàm olim ad reliquas stellas sortiuntur habitudinem,

quomo-

quomodo ergo eosdem exinde prædicent influxus? Varietatem prædictæ habitudinis dabit Procyon. qui annis ante Christum 45. Romæ oriebatur Cosmicè, hoc est cum Sole 6. Julij. Canis major 18. Julij, anno autem Christi 1644. Bononiæ Cosmicè oriebatur Procyon 15. Julij. Syrius 23. Julij stylo veteri. unde dies caniculares jam quinque diebus tardiùs incipiunt.

Nolim tamen quispiam dubitet varios, eósque naturales ab eclipsibus inter sublunaria effectus causari; cùm enim à fixis stellis, licet à nobis adeò remotæ sint, terrestria alterentur corpora, ut de Arcturo, Orione &c. non ex profanis tantùm, sed & sacris constat literis (Amos videlicet cap. 5. Job: 9. & 37. capite, ubi Arcturo & interioribus austri, frigus, tempestatésq; ciendæ attribuuntur) longè majores errantia sidera, præsertim Luna, & Sol, vires in hæc inferiora suas exerent. hinc illud Aristotelis 1. meteor: mundus inferior supernis lationibus contiguus factus est, ut omnis illius virtus inde gubernaretur: Experitúrque indies hanc vim non major tantùm, sed & minor mundus homo, cujus sangvinem manè usque ad meridiem, tanquam in Vere quodam Sol movet, reducitque animi serenitatem. Post meridiem verò usque ad occasum velut in æstate quadam bilem excitat, ab occasu autem usque ad mediam noctem, quasi in autumno quodam melancholiam promovet, & exinde gravedinem somniorum, & spectra phantasiæ exhibet; denique post noctem mediam velut hyeme quadam homo pituitosus redditur, & ad quietem placidiorem disponitur. Similes tempestates in utroque mundo Luna excitat: hyemi namque respondet tempus à novilunio, usque ad quadrantem primum intercedens. inde dies à quadratura ad plenilunium numerandi ver lunare exhibent humidum & calidum. à plenilunio autem usque ad ultimum quadrantem æstuat Luna, calorémque movet, & siccitatem, eâque de causâ tunc maximè nociva est morbis siccis; denique quadrante ultimo autumnat, frigidáque & sicca inducit tempora, ex quibus abundè patet horum siderum efficacia.

Jam verò quia Sol per lucem & calorem cæteras suas qualitates, operationésque dispensat, sequitur partem influxuum solarium, qui admodum benigni sunt, ijs subtrahendam populis, qui prædictam eclipsin spectaturi sunt. Quocirca langvebunt non animantia tantùm, sed & Plantæ, atque ipsæ vegetationis expertes substantiæ; est enim juxta multos hic Planeta formatrix formarum in sublunaribus talis ferè, qualis est plasmatrix fœtûs in utero animalium: Crediderim parturientibus, nisi aliæ concausæ suppleant, hanc fere imprimis inimicam, timendósque exinde partus debiles, homo enim, & Sol hominem generat teste Aristotele. quanquam in conceptu Romuli Solem totum obscuratum fuisse scribat Dionysius Halicarnassæus lib: 2. & tamen virum hunc ingentibus à natura talentis instructum nôrunt omnes.

Præte-

Præterea si verum est, quod nonnulli tradunt medici, proles interlunij temporibus natas, lunatico sæpè morbo, & amentiæ fieri obnoxios, (obruitur enim cerebrum tunc humoribus, & meatus obstruuntur) quidni à potiori simile olim malum expectent, quibus conjunctio hæc ecliptica in præfatis regionibus vitam concesserit, cùm extra deliquiorum tempora, lumen solare copiosius à globo terraqueo in Lunam repercussa, nonnihil attemperet malignos ejus sideris illapsus.

Infirmis item pessima quæque prædicent Astrologi; contingit enim hæc conjunctio in domo octava, quæ vocatur domus mortis, in qua item Leo & Mars versantur; Ego licet superius multa eorum principia vanitatibus annumerârim. Ex causis tamen naturalibus admodum vero simile censeo, infirmos solitò pejus habituros conjunctionis tempore: nominatim phtysici sese infestari sentient, tepidus enim humor, quem Luna solaris eclipseos tempore potentiùs, quàm aliàs excitat, mirè juvat ad putrefactionem. Neque immunes ab hoc malo erunt hydropici, quorum humorem salsugineum exagitabit Planeta minor. Et quia Saturnus Leo & Mars syzygiæ loco vicini existunt, melancholicis potissimùm, biliosis, & cholericis facessent negotium, morbósque calidos progignent. quanquam Jupiter medium Cœli occupans beneficis suis radijs nonnihil has vires sit attemperaturus. Fatalem mortis horam difficulter evadent ægroti illi, quibus dies conjunctionis fuerit criticus, Luna enim juncta Marti fatalis putatur. Si qui verò hoc eclipseos tempore aliquo morbi fuerint initio correpti, periculosas experientur chrises. Prima earum occurrit circa vigesimum primum gradum libræ, quo tempore Luna Herculi & Australi lanci vicina Lethalis creditur.

Hæc porro sic intelligenda velim, ut probabilitatis limites non putentur excedere; supersedeo pluribus naturalis astrologiæ conjecturis, memor Gemini mathematicorum præstantissimi, qui disertè asserit: *Astronomum, cùm hanc divinandi rationem assequitur, neque perfectam habere laudem, neque cùm aberrat accusationem.*

Quæres: cur in eclipsibus solaribus prædicendis tanta inter Astronomos varietas? respondeo: optimè Keplerus in epitom: Astron: pag: 900. *eclipses* nuncupavit *Astronomorum Pædagogos*; nihil enim tantum in Astronomia postulat artificium, quàm eclipsium exacta prædictio, *Solarium* præsertim; pendent enim istæ à multùm lubrica utriusque Luminaris parallaxi, in qua ritè determinanda, quanta sit difficultas, nôrunt periti, & tamen si vel modicè cespitaveris, notabilis in computum error sese ingeret.

Quare

Quare licet rigidiorem in lunaribus deliquijs calculum exigat prudens Lector, in solaribus tamen largiore eos donabit veniâ. Et verò Argolus meretur hanc in præsenti, qui defectionem istam, quam pro Horizonte loci superiùs assumpti supputatam habes; Romæ totalem fore divinat, ubi tamen ungula Solis non parva medij deliquij tempore suos diffusura est radios me judice, pro cujus asserti veritate testem appello eventum.

Videantur si præsto sunt Ephemerides illius, ubi pro anno 1684. hanc solarem obscurationem describens motum Lunæ à Sole horarium assumit 27. minut: 48. secundor: quem tamen ejusdem anni tabella Julio respondens facit 29. minutor: & 35. secundor: quodsi ejusdem Argoli calculum Tichonicum assumpseris, motus Lunæ à Sole verus erit 30. primorum & 18. secundorum. Expectandus eventus! opportuna sese in hanc rem ingerit memoria, olim à Patre Theodoro Moreto anno Domini 1663. observatam Wratislaviæ modicam Solis eclipsin, quam nullæ Astronomorum tabulæ, nullæ ephemerides prædixerant: quin & hoc ipso anno 1683. quo hæc scribo, notabilem Solis defectionem conspexit Lusitania universa, quam Evropæ toti invisibilem crediderant hujus artis cultores. Claudo verbis Riccioli (in præfat: almag:) *Stupendúmne an dolendum? inter tabulas Recentiorum Astronomorum inter sese, & inter observationes, & tabellarum calculum, imò inter ipsas eclipseos observationes, tantum esse dissidium!*

A. M. D. G.